



**Problemata Evangelica Ut plurimum Emblematis  
Coronata. Sive Quæstiones Curiosæ In singula Evangelia  
Dominicarum Totius Anni**

**Hartung, Philipp von**

**Egrae, 1689**

Problema XLI. Cur in Bacchanalibus Evangelium de Passione? Dominica  
Qvinqvagesimæ. Ecce ascendimus Jerosolymam, & consummabuntur  
omnia, quæ scripta sunt per Prophetas de Filio hominis. Lucæ 18. v. 31.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-76102](https://nbn-resolving.de/urn:nbn:de:hbz:466:1-76102)



## PROBLEMA XLI.

Cur in Bacchanalibus Evangelium  
de Passione?

### DOMINICA QVINQVA- GESIMÆ.

*Ecce ascendimus Jerosolymam, & consummabuntur o-  
mnia, quæ scripta sunt per Prophetas de Filio  
hominis. Lucæ 18. v. 31.*

§. I.  
Status  
quæstionis



Philipp. 4.  
v. 4.

Uid hoc? evangeli-  
um hodie de paſſio-  
ne? carmen de tem-  
pore? ſufficit longa  
mœſtæ materiæ  
quadragēſima, lætiq  
aliquid hodie cogitandum eſt, nè  
commutâſſe tempora, & ex riſendi  
tempore tempus flendi contra Sa-  
pientis doctrinam feciſſe videamur.  
Indulget nonnihil ſibi per has ferias  
Christianam modestia, & quaſi mo-  
mentem audiret Apoſtolum; gaudet  
in Domino ſemper, iterum dico gau-  
dete, gaudiō laxat habemas, cur ergo  
impotunâ de Dominicis cruciati-  
bus narratione interturbatur gau-  
dium & cithara vertitur in luſtum?  
quid mirum ſi velut olim Apoſtoli,  
ita & hodie Christiani, nibil horum  
intelligant, cùm triftiſſimam Domi-  
nicæ tragædiæ historiam eo tem-  
pore ſibi ingeri audiunt, cùm diver-  
ſas ipſi cogitant faciūntque comœ-  
dias. Cur ergo hodie de paſſione  
Evangelium? rationem nî fallor  
congruentiſſimam præſens dabit  
oratio, cui ut quām attentiflmas  
cordium aures appetit, vehemen-  
ter oro & obteſtor.

Ad Bacchanalia credo iviſſe  
Dominum, cùm diceret: *ecce aſcen-  
dimus Hierosolymam.* tam hilari fa-  
cie iſtud dixit, tam celeri pede am-  
bulavit, ut extra ſe rapi videretur.  
nemo ad lufum, ad ſaltum, ad sym-  
posium tam avidè properat, quām  
ad crucem JESUS. & cur hoc? ut  
deſtruat peccatum, ut perdat genti-  
lismum, ut comparet ſibi gloriam à  
Cruce. A Cruce gloriam? nihil  
cruce ignominiosius. *facinus eſt  
vincire Ci-vem Romanum,* clamabat  
Cicero in Verrem l. 5. ſcelus verbera-  
re, prope parricidium necare, quid di-  
cam, in crucem tollere? verbo ſatis  
tam nefaria res appellari nullo modo  
potest. & pro Rabirio: *nomen ipsum  
Crucis non modo à corpore Ci-vium  
Romanorum, ſed etiam à cogitatione,  
oculis & auribus alienum.* Vocat  
Seneca ep. 20. *infelix lignum.* Ta-  
cit. l. 4. iſtit. *Servile Supplicium.*  
Laſtantius l. 4. c. 27. *Supplicium ho-  
mine libero indignum.* Gracchus  
contra Pompiliū ignominiosius  
dicere non potest quam, *dignus eſt  
Cruce.* Canis quotannis cruci affi-  
gebatur Romæ, tubicine præcinen-  
te: *ſic punietur quicunque Reipubli-  
cae*

§. 2.  
Ignomi-  
ni-  
am Crucis  
Christus ſe-  
legit, ut  
mundum  
ad ſe tra-  
heret.

*et bono non bene ad vigilaverit. Nec aliter curari potuit Romanorum infania seipso propter irrogatas injurias jugulantium, quam cadavera jugulatorum affigendo Cruci. Hanc tamen infamiam Cruci melius, quam Socrates ignominiam carceri, Christus ademit, qui dixit Joan. 12. v. 32. Cum exaltatus fuerit, omnia traham ad me ipsum & quomodo trahet? respondet Oseas c. 11. v. 4. In funiculis Adam. seu ut Vatablus legit: in vinculis charitatis. Crux est ille funiculus, quo nos trahit, sibiique obligat JESUS, ait D. Bernardus cit. à S. Thoma Villanov. ser. I. de judicio. Multis modis DEUS conatus est pertrahere ad se corda hominum; egit enim suppliciis, egit beneficiis, at semper egit aetum. Minatus fuit hominibus crucem aqueam, & in ea crucifixit mundum Gen. 7. immisit igneam & affixit pentapolim Gen. 19. aperuit terream, quae devoravit Abiron, Core, Dathan; sed nec sic mundus idolatria relata respuit. beneficiis ut traheret, forvit eos ut gallina pullos suos, si forte videns mundus tot tantosque favores dicaret: revertamur & serviamus illi DEO pio & optimo, qui sic benignè & magnificè tractat cultores suos. Sed neque sic conversus est. post omnia beneficia gratias agunt, quales solent vituli bene pasti, recalcitrant, exsiliunt, mugunt, immo aureum vitulum adorant, hic videlicet DEUS est, qui vobis manna depluit, hic aquam dulcissimam è petra educit, hic vos obumbrat per diem, illuminat per noctem, traducit per Jordannem, inducit in terram melle & lacte fluentem. O crassi boves nil aliud quam vitulum gignere potuistis? Nec tamen benignus & patiens DEUS cessat hominum demererit amores, adhibetque medium ultimum*

& efficacissimum, cum ipse de sinu Patris descendens, angelicos choros deserit, in stabulum succedit, inter bovem & asinum medius recumbit, ut vitulantes vel hac arte ad jugum suum suave, ad amorem suum alliciat. nuntiatum est mundo ait Thomas cit. audivit, credidit, intellexit, & quem non vicerat timor neque favor, vicit amor; non enim valuit tantæ dignationis & bonitatis onus sufferre.

Sed interrogabo nunc ego te Bernarde? estne mundus jam tandem factus obediens præceptis divinis, jamne idolatria relata resipuit? jamne ad pedes Christi prostratus colit illum tanquam verum & unicum DEUM ac Dominum? jamne emollitus est lacrimis, sanguine, sudore, labore, amore, Redemptoris sui? Ah sit verum dicere: ita. si de ævo tuo loquare Bernarde, nescio quid dices, forsan illud tuum perfectius est nostro. De nostro non possum coram Veritate æterna dicere, quod mundus idolatria relata resipuerit. hodie mundus celebrat Bacchanalia, totus gentilis est. Vade per aulas, intra in Ecclesiæ. In aula videbis vivas imagines ornatas splendidè, in Ecclesia pietas imagines Crucifixi, vide utrum plus colatur Crucifixus, quam muliebris mundus. finitatem profundæ reverentiæ Venerabili Sacramento, quam ipsi sibi auxili invicem faciant? itane modestè se gerunt in convivio Eucharistico quam in solenni symposio? itane accurate attendunt ad verbum divinum, quam ad falsum jocum, ad inexpectata nova, ad cantum aliquem orcinum authore Lucifero vel uno è capella ejus compositum? quid dicam de avaris, iracundis, luxuriosis? Martem, Plutonem, Venem plus colunt, quam JESUM Mari-

svetum, Pauperem, Mundissimum.  
O monde quis tuus est Dominus?

**§. 3.**  
**Emblema.**

Subtilis vir ingenii emblemata  
hoc nuper effigieavit. stabat ab una  
parte diabolus in specie pulcherri-  
mi juvenis vexillum habens in ma-  
num male castis plenum emblematis.  
videbatur enim Juno cum Jove in-  
cestuosè congressa, Mercurius fur-  
to ingeniosè manus implicans, Ju-  
piter in Argi mortem conspirans, &  
Danaëm per imbrex aureum cor-  
rumpens &c. deorum scelera tan-  
quam heroica facinora exprime-  
bantur. infra hoc vexillum erat in-  
gens & innumerabilis turba jubi-  
lans & plaudens, appositâ epigra-  
phæ: *Non crucifigor & adoror.* ex  
parte altera erat Christus in virili ha-  
bitu vexillum tenens album, in quo  
crux rubra plena ingeniosis Symbo-  
lis: Pelicanus nutriendis pullos pro-  
prio sangvine: *suo nos sanguine pa-*  
*cit.* erat Iris pacem nuntians:  
*temperat iras.* Botrus in torculari  
expressus: *torqueor ut prosim.* Sca-  
la in cœlum porrecta: *facilis ascen-*  
*fus.* Spinæ germinantes rosam:  
*Vernabimus.* erat columba ramum  
misericordie plenum melle affe-  
rens: *sinè felle, melle redundo.* Sed  
exigua erat turba ad hoc vexillum  
congregata habens crucem in ma-  
nu, dorso vel pectore, ex quibus tam-  
en aliqui fiebant trans fugæ cum  
lemmate: *blanda placent,* dura di-  
splicent. In capite emblematis e-  
rant hæc verba: *Quis mundi Do-*  
*minus?* in calce vero: *Christus re-*  
*ficiens deficit, diabolus decipiens profi-*  
*cit.* potest proinde meritò insultare  
Christo dæmon: enquot & quanti  
& quam libenter currunt ad me,  
pro quibus ego tamen nullum cœ-  
lum creavi, naturam eorum non af-  
sumsi, nullam laureolam iis promi-  
si. caput meum pro iis nulla spina  
pupugit, corpus nullum flagrum  
concidit, manus nullus clavus trans-

verberavit, oculus nec lacrymam  
fudit, gena nullam alapam sustinuit,  
genu nunquam se curvavit, nulla  
venula vel guttulam sanguinis de-  
dit, & tamen (viden?) mundus to-  
tus post me abit, sub vexillo meo in-  
defessè militat, vocem meam accu-  
ratissimè observat, omnes vires, to-  
tum Sangvinem, vitam & Spiritum  
obsequio meo consecrat. Quid ti-  
bi prodest tua Crux Christe, quid  
spinæ, quid flagra, quid clavī, quid  
sputa, quid verbera, vulnera, fune-  
ra? non debebas ista pro mundo  
perpeti indigna tuâ Majestate, nec  
convenientia hominum appetitui.  
mundus vult mollia non dura, dul-  
cia non amara, mel non fel; pungi  
non vult sed ungi, ferre injurias non  
vult sed ferire, non fliere sed ridere,  
non dare sed accipere, non jacere  
sub pedibus sed insidere capitibus,  
non pendere in ligno sed jacere in  
lecto, non duci per spinas sed per  
rosas. frustra tua sunt opera, ego  
præ te homines attraho, mundum  
subjugo, jubilo & triumpho.

**§. 4.**  
**Pafio**  
**Christi ef-**  
**ficacissima**  
**ad caven-**  
**dum pec-**  
**catum.**

Usquequid filii hominum? ò  
insensati cur ita vos fascinari sinitis?  
ò cæcissimi cur in interitum prom-  
tè ruitis? ò impudentissimi cur tan-  
tos diabolo triumphos indulgetis?  
heu quantum in die judicii conque-  
retur contra vos divina Misericor-  
dia, subsannabit Justitia, clamabunt  
Christi sangvis & vulnera, conclama-  
bunt æterna supplicia, tonabunt  
fulmina, immugiet æther, terra  
contremiscet, ringetur avernus. ni-  
mis exilis pro vobis iste infernus est,  
qui post hæc omnia toties audita,  
considerata, ruminata, adhuc hodie  
mortiferum scelus patrabitis, hoc  
est, diabolum adorabitis, Christum  
crucifigetis, cœlum abnegabitis, in-  
ferno infelices animas vestras de-  
voebitis.

Eja Christiani aperite oculos  
men-

mentis vestræ & videte erectum amoris vexillum, Crucis mysterium, in quo signo illecebras vincere, astum hostis eludere, animari ad pugnam, assurari de victoria possitis. In hoc vexillum inscripta lego Originis verba: *Filius DEI pro peccatis mortuus est, Et te peccare deleat?* non ita abstrahere ab ardore peccandi mille inferni valent ( ut S. Thomas Villanovanus Ser. I. de jud. dixit ) non civitates flagrantibus, non aquarum inundationes, sicut videre DEum pro peccato morientem, ita peccati reatum solvem. Fierine poterit, ut superbus videat caput JESU spinis compunctum & non demittat cristas suas? estne possibile ut avarus videat manus clavis affixas, apertisque ad dandum thesauros æternos in celis, & non aperiat manum suam ad dandam eleemosynam pauperi? estne possibile, ut iracundus videat pedes affixos propter se, & non contineat pedes suos, nè currant ad effundendum sanguinem? estne possibile, ut desperatus videat Christum morientem pro se, & non concipiat spem vitæ suæ? quomodo damnabit poenitentem, qui propter hoc moritur, nè damnetur? quomodo abjicit redeuntem, qui de cœlo venit querere quod perierat?

§. 5.  
Vexillum  
Crucis à  
peccato  
nos abstra-  
hit.

Lipsius narrat de Africæ populis maximum damnum passis à leonum ferocia. hi enim adeò multiplicati sunt, ut ferinæ carnes non suffecerint in pabulum, quin humanas diriperent, vias & itinera obsiderent & viatores dilacerarent, ut Africa magnâ parte desolata fuerit. Consultum oraculum respondit: leonem caperent, cruciisque vivum affigerent, ita stragem leoninam cefaturam, rugitu enim hujus in cruce pendentis ita cohorruerunt ceteri

leones, ut patriam omnino deseruerint, ecce *vicit leo de tribu Juda*, affixus iste cruci infestis leonib⁹ incussum timorem, *leo rugiet, quis non timebit?*

Apoc. 5.  
v. 5.

Amos. 3.  
v. 8.

Cicero ad Atticum ep. 18. mentionet vexillorum, sub quibus militabant Romani. *Vexillo opus est & convolabunt*, & quidem unusquisque manipulus ad suum. erat vero mira colorum & Symbolorum in vexillis singulis diversitas, inter alia coccineum erat, in quo depictus phœnix, à quo dictum est *Phœnicum* & milites ipsi phœnicei dicebantur, eò quod generosiores essent ceteris, & eandem ducerent gloriam vel vincere vel occumbere. Phœnix noster JESUS fit, qui amoris absymptus igne revixit; cuius exemplo cadamus in mortem potius quam cedamus tentationi mortiferæ, incinerari & annulari velimus magis, quam peccare, sic erit gloria ex cinere.

Memorant veteres Romanorum annales, Catulum Romanorum Duce, cum adversus Cimbros dimicaret infelicius, suorumque plerique strage nimirum deterriti fugam molirentur, jamque copiosi in pedes se darent, Vexillum arripiisse, exaltasse, exclamasse: *Ecce sub quo militatis.* quâ voce & signo animavit timidos, revocavit profugos, restauravit aciem, victoriam obtinuit. Ecce Christiani signum crucis, in quo Christus pependit, hoc vos animet in adversis, confirmet in dubiis, restauret in perditis. Non ita efficax fuit signum Catuli, nec Moysis exaltatus serpens, quam hoc signum in quo victoria, felicitas, & vita. Ipse Christus se vobis ultrò ostendit & in memoriam revocat, quæ pro vobis fecerit, quæ pas-

passus fit, nè denuo eum graviora ferre cogatis.

§. 6.  
Apostro-  
phe Chri-  
sti ad pec-  
catores ex  
S. August.

Manlius Patritius Romanus accusatus ab Æmilio, judicatus, condemnatus, jāmque ad locum supplicii eductus, cùm ecce levans oculos vidit capitolium penes quod transibat, exclamavitque: *au-*  
*sine estis ô Judices Romani Manlium*  
*condemnare, qui pro salute patriæ*  
*paratus fuit mori?* terruit ea vox non comites tantum sed & Judices, revocavitque in memoriam Manlii facinus, qui ad repellendos Gallorum impetus vitam suam patriæ devoverat, & à capitolii mœnibus hostem propulsarat. quare sententiam revocant, Manlium reducunt, vitæ gratiam faciunt. Sic tu tibi oggere Christiane: Audésne Christum denuo condemnare, qui pro salute tua mortuus est? neque condemnare solum, sed longè turpiori morte afficere in temetipso, quam affecitus fuerit in Cruce? Audi ipsummet JESUM querentem apud S. Augustinum ser. 67. de div. *Cur me*  
*graviori criminum tuorum Cruce,*  
*quam illâ, in qua quondam pependi, af-*  
*fecisti? gravior est apud me peccato-*  
*rum tuorum crux, in qua in vitiis*  
*pendeo, quam illa, quam tui misertus,*  
*mortem occisurus ascendi.* Respice montem Calvariae, in quo ut deletemur juratos hostes tuos, vitam & sanguinem prodegî. non est tuæ factum malitia, ut me duriori rursum Crucis adjudicares? hæc certè cogitatio, sita à peccando non absterret, pejor immani ferâ es. Sed heu! manet obstinatus hostis & agit nobiscum proutcum Manlio Æmilius egit, adversarius enim iste obstinatissimus denuo litem instituit, mortisque sententiam à Senatu impetravit, nè autem supereisset Manlio spes vitæ, per vias cum di-

versas deduci jussit, è quibus Capitolum non videretur, itaque capite plexus est. Similiter agit dæmon, Crucifixi memoriam oculis mentis nostræ subducit, ut mortifera in flagitia, æternâmque inducat in mortem. Non proposuerunt DEUM ante conspectum suum, inquit, sunt viæ illorum in omni tempore.

Pf. 53. v. 3.

§. 7.  
Resolutio  
problema  
tis.

Habemus nunc causam nî fallor sufficientissimam, cur in Bacchanalibus. *Evangelium de passione*, ut ejusdem memoriam, à peccandi periculis, quæ per has ferias turmatim occurrent, avertamur. Rem miram refert Bzovius ad annum 1221. numero 10. erat Romæ infamis lupa Catharina nomine, cognomine *Pulchra*, turpissimis luxuriæ foribus contaminata, fuit enim scopulus, ad quem multorum allisæ periæ rates, confuebat siquidem ad eam juventus omnis, vespere quodam nonnemo formosior adventavit, qui dapsili exceptus fuit cœnâ, at omnia fercula Catharinæ visa sunt sangvine aspersa. nec tamen hoc illam perculit prodigium. remotis mensis ad secretum cubiculum Juvenem invitat, nec difficulter impetrat. hic ad flagitium pellicere Agnum ausa lupa stupendam conspicit metamorphosim. ecce enim Juvenis momento mutatus in virum, toto corpore saucius & plagis lividus, verèque Sponsus sanguinem appetet, tot ora quot vulnera exhibet, quibns diræ laniæ causam arguit, benignissime tamen ad veniam invitat & cruento hoc spectaculo lupam in Agnellam vel Agnetem, lenam in poenitentem Magdalensem convertit. quin & tu Veneris proce advolas & cum D. Bernardo innocentissimo nocens peccator exclamas: *ego sum tui causa vulneris, ego sum tui causa do-*

*doloris i peccatum fatis est , ah non  
peccabitur ultra.*

§. 8. **Emblema.** Pro emblemate serpentem  
fingo spinis undique septum, ita ut  
circo proserpere nequaquam pos-  
sit : *Non ultra.* pro sepimento  
spineo sit nobis corona Christi, ut ex  
virtutis & legis divinæ circo mini-  
mè erumpamus. ita sepiendam  
feliciter animam promisit DEUS :  
*sepiam viam tuam spinis,* nè scilicet  
ad vetitæ deflectas rosam volupta-  
tis. ex nubibus promicantes du-  
os digitos indices in formam Crucis  
decussatæ pono ( quo gestu minari  
& juratam indicere iram solemus )  
ut hoc signo petulcus & arundini  
suæ inequitans parvulus, projectis  
crepundiis, salubri timore corripia-  
tur: *vincor in hoc signo.* Crucem  
& instrumeta passionis omnia no-

bis hodierno in Evangelio propo-  
suit Mater Ecclesia, ut à Bacchana-  
listicis crepundiis abstractos pietati  
& virtuti addicat, nè sumus parvu-  
li fluctuantes, nec turpem diliga-  
mus infantiam, sed ad Salutem &  
vitam vincamur in hoc signo. De-  
nique Crucem versatilem ferratam  
collocemus, qualis ante prata & vi-  
arum prohibitarum aditus colloca-  
ri solet, nè transire fas sit, inscri-  
bamusque : *Crux prohibebit iter.*  
Ecce Crucem Domini ab Ecclesia  
hodie propositam, quæ ad prata  
luxuriæ deviásque sce-  
lerum vias prohibe-  
bit iter.

